Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



lomten·II·

330

de medio fiat / et auferetur ille iniquus quem dominus iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui eum cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis his qui perierunt eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis deus operationem erroris ut credant mendacio ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati sed consenserunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere deo semper pro vobis fratres dilecti a deo quod elegerit vos deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus et fide veritatis in quam et vocavit vos per evangelium nostrum in adquisitionem gloriae domini nostri iesu xpi. Itaque fratres state et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram. Ipse autem dominus noster iesus xpus et deus pater noster qui dilexit nos et dedit consolationem eternam et spem bonam in gratia consolet corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono. III.

Cetero fratres orate pro nobis ut sermo domini currat et clarificetur sicut et apud vos et ut liberemur ab importunis et malis hominibus. Non enim omnium est fides. Fidelis autem deus est qui firmabit vos et custodiet a malo. Confidimus autem de vobis in domino quoniam quae praecipimus et facitis et facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in caritatem dei et patientiam xpi. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine domini nostri iesu xpi ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis quomodo oporteat nos imitari nos quia non inordinate egimus nec gratis panem manducavimus ab aliquo sed in labore et fatigatione nocte et die operantes ne quem vestrum gravaremus non quasi non habuerimus potestatem sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos hoc denuntiabamus vobis quia si quis non vult operari non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inordinate nihil operantes sed curiose agentes. Hiis autem iubemus et obsecramus in domino iesu xpo ut cum silentio operantes suum panem manducent. Vos autem fratres nolite deficere bene facientes. Si quis non obedit verbo nostro per epistolam hunc notate et non commisceamini cum illo ut confundatur. Et nolite quasi inimicum eum existimare sed corripite ut fratrem. Ipse autem deus pacis sanctificet vos per omnia in omnem locum. Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio mea manu